

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO X.

PRO SECUNDA  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ATQVE CLARISSIMI DN. D.  
MARTINI CHEMNITII.

Quatuor tractans quæstiones.

- I. De vera ad Eucharistiam preparatione, adeò ut di-  
gnus quisq, ad eam accedere queat.
- II. De indignè Eubharistia utentibus.
- III. De modo sumendi corpus & sanguinem Christi in  
Sacra Cœna.
- IV. De tempore, quo Cœna Dominica sit sumenda.

Quas.

DIVINA ASPIRANTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI,  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFES-  
SORIS in Academia Witebergenſi publici, ad  
diem 17. Augusti in Templo Arcis Electo-  
ralis proponit

M. LEONHARTVS ERNESTVS  
Aurnheimenſis Franc.

WITEBERGÆ, Typis Meisnerianis Anno 1603.



REVERENDIS, CLARIS-  
SIMIS PIETATE, VIRTUTE,  
DOCTRINAQVE PRAESTANTIS-  
SIMIS VIRIS

DN. M. IOHANNI MEHLFVRERO  
*Templi Onoldini ad D. Gumpertum Concionatori & assessori  
illustris Consistorij Brandenburgici dignissimo.*

DN. NATHAN HVRTHELIO Ecclesiae  
*Ostheimensium Pastori vigilantissimo.*

NEC NON

Præclara fama multarumq; rerum vsu & experien-  
tia spectatis Viris.

DN. GEORGIO ERNESTO Amplissimo  
*Reipub. Nordlingensis Senatui à Consilijs.*

DN. LEONHARTO BRENNERO in  
*Rechenberg praefecto integerrimo.*

Dominis promotoribus, favioribus, patro-  
nis, amicisq; plurimum suspiciendis

*Gratitudinis & observantia ergò has  
theses dedicat & offert.*

Respondens.



## T H E S I S I.

**R**obè examinatis, meritò explosis, ac penitus profligatis in proxima disputationum nostrarum ventilatione, Sacrificulorum regni Pontificij erroribus ac tetrìs abusibus de reponendo, includendo, asseruando, circumgestando, adq. alios vsus post longi temporis intervallum accommodando pane  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha\epsilon$ : nunc piè ad Sacram  $\sigma\upsilon\nu\alpha\epsilon$  preparationis, veriq. sumendi canam Dominicam modi discussionem aggressuri, initiò quomodo quispiam, ita, ut verè ac salutariter fiat particeps Corporis ac Sanguinis Christi, rectè sese preparare debeat, & qui vicissim minus digni mensam Domini sint accessuri, docebimus: Deinde qua ratione, & quo anni tempore lautissimo ac saluberrimo cœlestis huius convivij cibo ac potu uti ac frui liceat, ostendemus.

## C A P V T I.

DE VERA AD  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha\epsilon$  PRAEPARATIONE, adeò ut dignus quisq. ad eam accedere possit.

## I I.

Preparationem sanè ac probationem Cœnæ Dominicæ usum precedere debere, nemo profectò nisi planè impius inficias ire potest. Quemadmodum enim Dominus à populo suo Leviticis exegit purificationes Exod. 19. v. 10. & 11: ita Paulus ab omnibus Christianis, ut ante Eucharistia sumtionem, quisq. seipsum probet, seriò requirit. 1. Cor. 11. v. 28. 2. Cor. 13. v. 5. Neq. etiam omnes dignè manducare ac bibere idem manifestè affirmat: 1. Cor. 11. v. 27. Quid? Nonne qui timent Dominum, Corda sua preparabunt? inquit Syrac. cap. 2. v. 20. Esa. 40. v. 3.

## I I I.

Hinc vetus quoq. Ecclesia ante Eucharistia administrationem eiectis catechumenis, & publica pœnitentiæ ritu purgandis, hunc in modum exclamare solebat: Sancta sanctis. Et Au-



gustinus pulcherrimè ait : *mateat vitam, qui vult accipere vitam.*

## IV.

*Bene. Sed putas forsan, Sacrificule, me tecum comparationem seu proportionem praestantiae sumentis ad praestantiam cibi, corporis scilicet ac sanguinis Christi instituere velle? Minimè gentium. Nequaquam enim perfectam illam, omnibusq; numeris absolutam, quae sit sine omni infirmitate ac imbecillitate, intellectuam volo.*

## V.

*Longè enim indigniores sumus, quàm ut Dominus intret sub tectum nostrum Matth. 8. v. 8. minores sumus cunctis miserationibus eius Gen. 32. v. 10: Dicendum nobis est cum Davide, qui nos sumus, aut quæ vita nostra? 1. Sam. 18. v. 18: Caro profectò sumus, quæ nihil prodest quicquam Ioh. 6. v. 63: inter sanctos nemo est integer Iob. 15. v. 15.*

## VI.

*Ejusmodi verò παρασκευὴ antecedit, statuimus, quâ unusquisq; suam mentem, cor, conscientiam, & seipsum totum considerat, examinat, & explorat, num videlicet tali corde & affectu accedat, an ita sit dispositus & affectus, ut non ad iudiciũ, sed dignè cum fructu Cæna Domini uti possit, id quod institutio Cænae cœnæ regula certissima præscribit & exigit.*

## VII.

I. *Πῆ παρασκευὴ, πρὸς εὐχὰς ἰσῶν ἐπιζητῶμεν, est Dignitatis ejusdem confirmationis.* Primum quidem mens pia ex verbis institutionis intelligat, & reverenter cogitet, quod sit hoc Sacramentum, quis eius usus, ceriò quoq; statuatur, in hoc ipso cœlesti convivio verè adesse ipsum DEI filium DEUM & hominem præbentem & exhibentem cum pane ac vino descendentibus corpus & sanguinem suum, ut hoc preciosissimo testimonio ac pignore nobiscum se jungat, N. T. pactiorem gratiæ nobis applicet, obsignet, confirmet.

## VIII.

*Hanc animi reverentiam ac devotionem requiri ad manducationem Paulus apertè ostendit, pronuncians; illos apud Corinthios*



rinthios indignè manducare, qui de cœna non augustius sentiebant, quàm de vulgari aliqua concanatione, nec majori reverentia ad eam accedebant, atq; sic corpus Domini non dijudicabant. 1. Cor. 11. v. 29. & 34.

IX.

Cognita deinceps præstantia, preciositate, & dignitate cibi ac potus huius incomparabilis, quisq; seipsum probet, cognoscens videlicet suam infirmitatem, indignitatem ac impuritatem. Optima enim, inquit Beatus Lutherus, dispositio est non nisi ea, qua pessimè es dispositus, & è contrario pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus, hoc est, qui nulla te afferre peccata tibi falsò persuasum habes. Siquidem benè habentibus non opus est medico, sed male habentibus. Matth. 9. v. 12.

X.

Ingenti verò peccatorum nostrorum mole perspecta, doleamus, quod DEUM offendimus, animum afferamus pœnitentem, timoreq; DEI plenum; cor contritum: spiritum contribulatum Esai. 38. v. 13. Psal. 51. v. 19. Ioel. 2. v. 12. & 13: quem spiritum contritum DEUS respiciet Esa. 66. v. 2: percutiamus femur nostrum, & dicamus confusi sumus, & erubuimus, quoniam suffinuimus opprobrium adolescentiæ nostræ Jerem. 31. v. 19.

XI.

Vi autem juxta Pauli enunciaturum 2. Cor. 7. v. 9. & 10. ita contristemur secundum DEUM, ut nostra tristitia pœnitentiã ad salutem non penitendam operetur, tertium deniq; & ultimum bonæ præparationis, omniumq; maximè necessarium, requisitum accedat necesse est: nempe fides.

XII.

Fides enim petit & cum gratiarum actione agnoscit, accipit & sibi applicat Christum cum omnibus suis beneficijs, quæ ibi offeruntur, ac donantur, ita ut singuli statuunt, ad se quoq; promissionem illam, in verbis institutionis auditam, pertinere, illam sibi communicari, & obsignari, & quidem exhibitò preciosissimè

A 3

II.

Indignitas nostræ exploratio  
In Com. de digna præparatione ad Sacramentum Euch. habita Anno 1528.

III.

Beneficiorum in Cœnâ exhibitorum applicatio.



ciossimo pignore corpore scilicet & sanguine Christi. Nam qui credit in Christum, inquit Augustinus, manducat ipsum, ut & in Christo maneat, & Christum manentem in se habeat, qui vero hac fide vacuus accedit, foris quidem manducat, non intus. premit dente, non capit mente.

De Capti-  
vitate Ba-  
bylon. cap.  
de Euch.  
edito An-  
no 1520.

1. Tim. 1.  
v. 18.

XIII.

Hinc etiam pie & orthodoxè Lutherus affirmat fidem peccatam reddere conscientiam; nam ideò accedamus, ut fides hæc in nobis accendatur & cōfirmetur, ne DEO in verbo suo loquenti diffidamus, sed firma fiducia ei adhaerescamus, eumq; ut & proximum nostrum diligere incipiamus, bonamq; militiam per totum vitæ nostræ curriculum militemus.

XIV.

Hac itaq; antegressa preparatione verè digni futuri sumus convivæ Cæne huius cælestis, non quidem ut propria nostra dignitate ac puritate nos dignos reddere cupiamus hoc cibo, quasi ideo sit nobis salutaris, quia propter mundiciem nostram eosimur digni, sed ut agnita preciositate, & simul observata indigentia ac infirmitate nostra, indubitata fide accedentes verè reddamus esurientes ac sitientes eius cibi ac potus, qui efficax est ad salutem nostram ac vitam aeternam. Esa. 55. v. 1. Matth. 5 v. 6. Luc. 6. v. 21. Ioh. 4. v. 13. 14. cap. 7. v. 37.

## CAPVT II.

DE INDIGNE EXCAPITIA  
vtentibus.

XV.

Prima nunc συζητήσεως nostræ parte & quidem affirmatiua posita & absoluta, ad secundam porro accessum facere placet, quæ, quinam indigni de pane hoc vivifico manducaturi: quiq; ex salutari N. T. poculo indignè sint bibituri, expediet, id quod antithesis statim subjuncta, luculenter est ostensura.

Quamvis



## XVI.

Quamvis autem non adeò multam hac vice litem moveamus istis, qui licet minus externæ corporis sui studeant præparationi: nihilominus tamen cum & hac Ecclesiæ cætum ornet, ac reverentiam majorem in nobis excitet, nequaquam Baalitico more pietatem simulantes intemperantia, ferocissimo habitu & gestu, & licentia militari, luxuq; vestium lascivo piorum oculos animosq; offendamus.

## XVII.

Multò minus autem quod omnium maximum est hæresi aliqua de substantia vel usu Cænae Dominica infecti simus; dum vel affectata laboremus ignorantia, omni devotione, vera penitentia, veraq; fide vacui: vel propria dignitate freti ex opere operato sumtionem hanc prodesse putemus.

## XVIII.

Duplex enim hominum, indignè ad sacrosanctam Dei mensam accedentium, genus esseprehendimus: Hypocritarum nimirum in defectu, & Pontificiorum in excessu peccantium.

## XIX.

Hypocrita in ipso quoq; vera Ecclesiæ cætu existentes sunt, qui vel posthabitis & neglecto sano sensu verborum institutionis crassa & affectata ignorantia, & irreligiosa incogitantia accedunt, ut vel planè non intelligant, vel prorsus nò cogitent, qualis ibi actio à filio Dei sit instituta, quaq; admirabilis huius Sacramenti sit virtus & dignitas, de quibus verè Ambrosius pronunciat, quod Corpus Domini inconsideratè & negligenter accipiant.

## XX.

Vel qui omni prorsus vacui sunt penitentia, qui non cogitant de mole peccatorum, ita ut de illis doleant, qui non expavescent agnitione ira Dei, sed perseverant in delictis contra conscientiam, indulgent pravis cupiditatibus, nec deponunt propositum malefaciendi, sed potius turpitudinis privilegium:



gium sibi dari, ut porro liberè ac impunè possint in sceleribus perseverare, pergere & ad ea redire, autumant.

## XXI.

Hi verò Augustini illud observare debent: hoc videlicet Sacramentum interioris hominis esuriem querere, & propterea ad participandum illud eum ineptum esse, qui peccatum & infirmitatem suam non sentit. Talis enim non edit & bibit, sive, ut Salvatoris utar verbis, non facit in commemorationem Christi Luc. 22. v. 19. Quam commemorationem Paulus de morte Christi annuncianda interpretatur 1. Cor. 11. v. 26. qua annunciatio mortis Domini simul etiam commonefactio est de abominatione peccati, & de ingenti ira Dei adversus peccata nostra.

## XXII.

Beza Respons. 1. ad Acta Colloq. pag. 61. Pass. pag. 43. Heidelberg. pag. 91.

Vera quoque destituuntur fide: siquidem fides tanquam bona arbor nunquam est sine bonis fructibus. Ex fructibus enim ipsorum cognoscetis eos, inquit Christus Matth. 7. v. 16. Luc. 6. v. 44. Fallunt autem hic & falluntur, qui eos, quantumvis etiam de animi preparatione non cogitent, fratribus, quos offenderunt, non reconcilientur, vera tamen & vivifica fide carere negant. Verum namque manet, quod juxta Gregorium: Corpus & sanguinem Christi quidem accipiant essentia, nequaquam vero salubri efficientia.

## XXIII.

Pontificios verò quod attinet, hi profectò nihil horum sibi deesse existimant, adeò ut plus quam opus: imò quam pius est à communicantibus suis fraudulenter exigant, ipsaque, ceu jugum intolerabile imponant. Act. 15. v. 10.

## XXIV.

Conc. Trid. Sess. de Euch. cap. 7. can. 11. Bell. lib. 4. de Sacram. Euch. c. 18.

Neminem enim nisi perfectè dispositum & per sacramentum pœnitentia, confessionem, missas, satisfactiones à gravioribus peccatis jam ante liberatum dignè Eucharistiam sumere posse, sine omni scriptura contendunt, sive ut Tridentinus & Roberticus ille Spiritus comminiscitur, neminem ad Sacram Synaxin



Synaxin accedere posse, qui sibi peccati mortalis est conscius.  
XXV.

Hinc duplicem fingunt preparationem alteram probabilitatis, qua homo faciendo, quod in se est, judicat, se satis esse preparatum: alteram sufficientiam, plenariam videlicet peccati expulsionem, & perfectam devotionem, qua posita, Eucharistia usum salutarem esse ajunt, ac interim ne unica quidem syllaba fidei, qua petat, apprehendat, & accipiat promissionem, mentionem faciunt, sed potius alto silentio tutissimum hoc asyllum nequiter, imò summa cum sua pernicie praterire malunt.

Scholastici de preparatione.

XXVI.

Quia enim fides adversa fronte cum dogmate Pontificiorum de dubitatione pugnat, ideoq; hanc ipsam ob causam fidei huic locum in preparatione ad salutarem Eucharistia sumtionem concedere nolunt; verum cum illam simpliciter & manifestè ex illa preparatione proscribere non ausi fuerunt, penitentia contritioni solam fidem opponere solent. Et hoc est quod impium ac blasphemum Synodi Tridentina Concilium Can. XI. Cap. VII. nos anathematis fulmine ferire minimè dubitat, damnans nimirum omnes illos, qui cum B. Luthero solam fidem sufficientem preparationem esse sentiunt.

De captivitate Babylonica.

XXVII.

Et sanè, si id de persuasionem aliquam, quam sine penitentia in proposito malefaciendi impij sibi fingunt, intellectum vellemus, ita, ut in manifestis sceleribus perseverantes, fidem solummodo historicam de hoc Sacramento habentes, satis paratos ad dignam Cœne Dominica sumtionem esse statuamus, tunc ultrò Adversarijs victoriam deportandam largiremur. Hoc verò quàm falsò Ecclesijs nostris affingatur, ex ijs quæ in prima parte dicta sunt, manifestum evadit.

XXVIII.

Lutherus autem adeò non excludit à vera ad eucharistia preparationem agnitionem peccatorum nostrorum, contritionem  
B seu





seu penitentiam, ut potius pugnet contra elatos Pontificios, qui bonis suis operibus se efferentes, posthabito fonte salutis Christo, qui fide apprehensus, gratis remittit peccata, & ipsi se habere putant, & alijs proponere posse multa & varia preparatoria opera, quibus expletis satis digni futuri sint convivae Cænae huius admiranda.

## XXIX.

Nullam enim aliam ob causam Sacrificuli, pœnitentiam à communicantibus requirunt, quam ut eius operibus & merito tribuant dignam preparationem, ita ut salutaris manducatio nostra dignitate, puritate, nostris operibus preparatorijs & meritis nitatur.

## XXX.

Contra hanc opinionem Lutherus rectè & piè asserit, Cœnam Domini non ideo institutam, ut nos Deo aliquid conferamus, sed illa beneficia quæ filius Dei traditione corporis, & effusione sanguinis sui promeruit, vera fide apprehendamus, accipiamus, nobis applicemus. Et hoc sensu fidem solam esse veram ac sufficientem preparationem ad sumendam Eucharistiam. Ad hanc enim fidem inquit mox sequetur sua sponte dulcissimus effectus cordis & charitas.

## XXXI.

Lib. 4. de  
Sacram.  
Euch. c. 17.

Sed Bellarminus oggannire solet: nempe intra paucas lineas apertissimam contradictionem inveniri in verbis Lutheri, dicentis: solos illos, qui tristas, afflictas perturbatas confusas, & trementes habent conscientias dignè communicare, & paulò infra: fides sola pax conscientia, infidelitas sola turbatio conscientia: Hinc infert Bellarminus. Si illi soli dignè accedunt qui habent conscientiam turbatam. At verò sola infidelitas turbatio conscientia est. Ergo soli infideles dignè accedunt.

## XXXII.

Respondeo: Adversarium ludere fall. equivocationis, & nequaquam hac contrad. etoria sed subordinata esse. In Ma-  
jore



jore enim Lutherus talem intelligit perturbationem, qua quisq; seipsum explorans peccata sua cognoscens, de illis gravissime dolens, planè seipsum abnegat, omnes suas vires omniaq; sua bona opera, cum divina gratia collata, cum Paulo Philip. 3. v. 8. pro detrimento imò pro stercore habet, ut Christum lucrifaciat, & inveniatur in illo, non suam habens justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu.

## XXXIII.

In ultimis verò Lutheri verbis, sive in minore Robertica, alia depingitur turbatio, nempe infidelium, animorum inquietorum, qui Deo in verbo suo diffidunt, qui cum sua sanctitate, bonis suis operibus cum Deo contendere audent, licet ei ad mille ne unum respondere queant, Job. 9. v. 3. hinc fit, ut nunquam habeant conscientiam pacatam, sed turbatam fluctuantem & dubitantem

## XXXIV.

Hos ergo, cum sua nitantur puritate & sanctitate, cumq; diffidentiam in Deo ponant, merito perturbatos relinqui, & consequenter indignè manducare ac bibere, rectissime à Luthe- ro pronunciatur: illi vero, qui semetipsos suamq; dignitatē abnegant, vitam inveniunt, atq; sic placatam ac pacatam adipiscuntur conscientiam.

## XXXV.

Cesset ergo Jesuita, cessent omnes Papilole, qui anathematizantes nihil aliud querunt, quam ut contrarium suum dogma stabiliant, de fiducia nostræ contritionis, confessionis, satisfactionis, dignitatis ac puritatis. Et hæc est compendiaria ipsorum via, qua homines, dum non ita ex propria dignitate se preparatos esse, sentiunt, à crebriori usu Cæne Dominica deterrant, ut nundinationes privatarum missarum avidius sectentur & amplectantur.

## XXXVI.

Hinc etiam Spiritus ille Tridentinus ex orco rugire non  
B 2 veretur,



Decreto de  
Euch. c. 3.  
can. 11.

veretur, neminem videlicet dignè Eucharistiam sumere posse, qui conscius peccati mortalis accedit, sed magna reverentia & sanctitate accedendum esse, sive ut Antradius interpres Synodi ait, accedentes ante communionem suis operibus & satisfactoriis summam quandam mundiciem & innocentiam acquirere posse, ut non opus sit in communionem Eucharistia quaerere vel accipere remissionis peccatorum vel applicationem, vel oblationem, sed quod nostra puritas digna iam sit, cui Christus cum suo corpore se jungat ac communicet.

## XXXVII.

Quapropter Sacramentalem confessionem, qua illis est plena enumeratio omnium delictorum, & sufficiens contritio ac satisfactio, Eucharistia communionem necessario praemittendam esse nugantur: verum cum de confessione in nostris Ecclesijs usitata supra paucis dictum sit, & de hac sacramentali confessione postmodum in loco de penitentia fusius agendum restet, ulteriore hac vice tractatione supersedebo. Et hac de preparatione ad Eucharistiam dixisse sufficiant.

## CAPVT III.

DE MODO SVMENDI CORPVS ET  
sanguinem Christi in sacra cœna.

## XXXVIII.

Manduca-  
tio tri-  
plex.

Ut jam ad tertiam disputationis nostrae partem descendamus, pauca quaedam de modo Eucharistiam sumendi concinnanda esse institutum nostrum flagitare videtur. Et quidem juxta veterum distinctionem triplicem quoque rationem manducandi ac bibendi corpus & sanguinem Christi ceu veram, commodam, ac utilem statuere placet.

## XXXIX.

I.

Et primo quidem spiritali modo esse manducationem ac bibitionem corporis ac sanguinis Christi, qua etiam extra usum cœnae Dominicae vera fide in promissione Evangelij  
meritum



meritum traditi corporis Christi & effusi ipsius sanguinis apprehenditur & applicatur, ex ipsius Christi proluxa concione Ioh. 6. v. 27. 35. 41. 50. 51. 54. manifestum est.

XL.

Quamvis enim & in hac, & in Sacramentali manducatione unius ac ejusdem carnis & sanguinis Christi, & sic unius ac ejusdem cibi ac potus sit mentio; tamen manducatio & bibitio illius cibi ac potus, sive modus manducandi ac bibendi non est utrobique idem.

XL I.

Hæc namque spiritualis manducatio perficitur sine Symbolis externis, nec etiam potest fieri ad iudicium, quia nemo potest credere ad iudicium: siquidem fides tantum ad iustitiam non autem ad iudicium imputatur. Est quoque hæc manducatio omnium temporum, & tribui potest prædicationi verbi ac baptismo; qua homo ne ad momentum quidem carere debet, si modo Deo placere cupit. Semper enim fructum carnis Christi respicit, & sola definitur fide.

XL II.

Et hoc pacto Patres in Veteri Testamento carnem & sanguinem Christi edisse ac bibisse perhibentur, ratione scilicet fructus & efficaciae, quatenus beneficijs Christi, id est, gratia Dei & remissione peccatorum fruebantur per fidem. Quam etiam in sententiam Agnus occisus dicitur ab origine mundi, non certè quoad substantiã seu actum ipsum, sive opus passionis, id quod res ipsa refellit, sed ratione effectus & beneficiorum passionis Christi per fidem.

Apoc. 13. v. 8.

XL III.

Sic adhuc hodiè verè credentes spiritualiter tantum edere ac bibere dicimus, qui vel non possunt habere copiam communionis sacramentalis, vel qui in cœtu Ecclesiastico, etiam quando non sacramentaliter communicant, tamen vera fide in-

B 3 haren-





herentes Christo spiritualiter carnem ipsius manducant, ac sanguinem bibunt.

Self. dicta  
cap. 8.

## XLIV.

Quam autem iterum hac in parte Spiritus ille Tridentinus insidiosè agat, ex proprijs ipsius verbis videre est. Non enim dicit carnem & sanguinem Christi manducari ac bibi à credentibus etiam extra usum cœnae Dominicae, sed ipsum inquit Sacramentum Eucharistiae spiritualiter tantum sumi à quibusdam, qui scilicet id quod in cœna exhibetur, ore suo non accipiunt.

## XLV.

Quo affirmato, hanc veram communionem spirituales esse, astruere conatur, quae fit in celebratione Missae privatae, ubi sacramentum nemini ex circumstantibus exhibetur, nemo est qui accipiat, manducet ac bibat: ne tamen manifestè in ipsam Christi institutionem, quae accipere, edere, ac bibere jubet, pravaricari videatur, fingit mandato Christi ita satis fieri posse, si, in celebratione Missae, spiritualiter saltem edere ac bibere carnem ac sanguinem Christi dicantur, licet nulla fiat à quocumque laicorum corporalis manducatio & bibitio.

## XLVI.

Sciant autem Sacrificuli actioni cœnae non satis fieri spirituali manducatione, si nemini exhibeatur, sed longè alium manducandi modum esse extra usum, quem nos hoc loco describimus; & alium in ipsa actione quam etiam illi in administratione Missae institunt, ubi unà cum pane ac vino sumere manducare ac bibere carnis & sanguinem Christi in ipsius commemorationem jubemur.

## XLVII.

Neque etiam vera communio, consentiens cum institutione Christi esse potest, si Solus Sacerdos in privata Missa seipsum tantum pascat: pugnat enim cum descriptione Pauli 1. Cor. 11. v. 34. qui non vult, ita cœnam Dominicam celebrari, ut quisque ἰδίῳ δεῖπνον, quod cum nemine sit commune, instituat.

Secundò



## XLVIII.

Secundò alia describitur in sanis literis manducatio ac potio corporis ac sanguinis Christi, videlicet Sacramentalis tantum, quæ fit ab ijs, qui indignè ore suo de corpore & sanguine Christi participant, sed ad iudicium, quia non dijudicant corpus Domini 1. Cor. 11. v. 29: non in suam commemorationem faciunt v. 25: non mortem Christi annunciant v. 26.

II.

## XLIX.

Ejusmodi verò esse manducationem ex verbis institutionis clarissimum est. Christus enim aperte omnes, nullo excepto, bibere jubet, Matth. 26. v. 27. Et Marcus insuper adijcit, quod OMNES ex eo (calice) biberint, Marc. 14. v. 23. Iudam autem Hypocritam ac proditorem Christi cœnam quoque Domini accepisse, ex verbis Salvatoris Luc. 22. v. 21. immediatè institutioni Sacrae cœnae subjunctis, patet, ubi ait: ecce manus eius, qui prodit me mecum est in mensa.

## L.

Falsissimum ergo est, quod collocutores Mompelgartenses in Respons. ad Theol. V. Virtemb. theses de cœna statuunt: nullam videlicet corporis ac sanguinis Christi perceptionem esse, sive in simplici verbo, Iob. 6. sive in sacramentis, ut in institutione cœnae Dominica, nisi spiritualem, id est, eam quæ S. S. virtute, & fidei instrumèto peragitur. Hinc quoque Zach. Ursinus de impijs impiè pronunciat, illos nimirum nuda tantum signa accipere, eaque ad iudicium ac condemnationem.

Colloq.  
Lat. pag. 28  
Germ.  
pag. 47.

## LI.

Benè. Si nuda tantum signa accipiunt, utiq; non possunt impij rei fieri corporis ac sanguinis Christi, cuius non participes fiunt, sed panis solummodo ac vini quibus fruuntur. Atqui Paulus infallibiliter testatur, indignè manducantes ac bibentes reos fieri corporis ac sanguinis Christi, propterea quia corpus Domini non dijudicant 1. Cor. 11. v. 27. 29. Ergo. Non autem Paulus juxta Calvinianam glossam inquit, illis reos fieri dunt



dum corpus Domini negligunt, vel reijciunt, sed expresse ait: quia indignè edunt ac bibunt corpus & sanguinem Christi sub pane ac vino.

## LII.

Nunquam enim in ipso actu manducationis ac potationis ita à se invicem divelluntur hæc duo, adeò ut panis sine corpore, & vinum sine sanguine Christi accipiatur, sed, sumto pane, simul corpus Christi accipitur, sumto vino, simul sanguis Christi sumitur: non quidem physicè, sed juxta modum unionis Sacramentalis, de qua nihil carnale fingendum est, cum sit planè mysticum & cæleste convivium, cuius ratio sive modus omnibus naturæ legibus & conditionibus est exemptus.

## LIII.

III. Explicatis jam prioribus duobus manducandi ac bibendi corpus & sanguinem Christi modis, tertius porro cognitu facillimus erit, videlicet Sacramentalis ac spiritualis simul, competens ijs, qui in usu Cæne Dominicæ ore suo cum pane ac vino accipiunt corpus & sanguinem Christi, ita ut simul fides juxta promissionem statuat, Christum illa sumtione sibi applicare & obsignare beneficia sua, quæ traditione corporis & effusione sanguinis promeruit, & beneficia illa, quæ ibi offeruntur, grata mente & læta fiducia amplectatur & accipiat.

## CAPVT IV.

DE TEMPORE QVO COENA  
Domini sit sumenda.

## LIV.

Licet in nostris Ecclesiis, quibus verba institutionis sacrae cæne pro norma ac amissi sunt, facilius hac questione superseedere queamus, quò minus, quònam anni tempore & quoties ad sacrosanctam hanc Dei mensam nobis accedendum, cælestiq; hoc convivio ad æternam salutem utendum sit, quæramus: nihilominus tamen, cum ut sinceritas doctrinæ, ita vera disciplina



573  
plina sub papatu collapsa sint, paucis in hanc rem disquirendum opera precium esse duximus.

LIV.

Quam autem pessimè sub densissimis Papatus tenebris hæc ipsa de tempore communicandi disciplina collapsa sit, præterquam quod paulatim post Concilium Antiochenum frequens communicatio à populo intermitteretur, donec tandem Lateran. Concil. laicis semel in anno satis esse uti sacra cæna judicaret: vel exinde tantum manifestum est, quod Tridentina Synodus non collapsam disciplinam restaurare cupit, sed potius ita approbandam & ad certum anni tempus restringendam esse audacter statuit.

LVI.

Nam ex præcepto sanctæ (scilicet) suæ matris Romanæ Ecclesie omnes & singulos homines viriusq; sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri, singulis annis saltem in paschate ad communicandum sub anathematis fulmine contendere non veretur.

Can. XI  
Cap. VIII.

LVII.

Quo impio decreto Concilium homines à crebriore Euch: usu abducens, vulgo persuadet satis superq; esse, si semel in anno communiione uterentur, idq; præstantius opus esse, si statuto in paschate scilicet, quam alio tempore fieret, non quidem ex mandato Christi, sed ex præcepto Ecclesie. Ne tamen prorsus crebriorem usum prohibuisse videatur, valdè leviter addit particulam (saltem) retinens interim falsam persuasionem, satis esse, si quis semel tantum in anno Cæna Domini utatur.

LVIII.

Sed falso huic decreto invictè opponimus verba Salvatoris nostri, qui convivium hoc cæleste instituit, ubi non dicit, semel tantum & quidem statuto tempore ad Sacram Cænam accedendum esse, quemadmodum manducationi paschatis in lege

C

statutis





statutus Dies in certo mense anni praefinitus erat: sed ita inquit, hoc facite, quotiescunq; manduca veritis & biberitis in mei commemorationem.

## LIX.

Quae particula (Quotiescunq;) à Paulo peculiari solitudine bis repetita, 1. Cor. II. v. 25. 26. ad utrumq; respicit: primo ne celebratio seu communio Cœnae Dominicae existimetur, sicuti pascha Iudæorum, ad certum & statutum tempus alligata esse, deinde ne quog; quis existimet, illud de quo Christus ait: hoc facite, semel tantum in anno faciendum esse, sicut sufficiebat semel tantum pascha in anno manducare, sed quotiescunq; quis opus habuerit.

## LX.

Id quod tamen non ita accipiatur, ac si in cuiuslibet esset positum arbitrio, siue uteretur aliquando cœna siue prorsus non uteretur, aut quando libitum esset: sed hic est sensus vocule huius, ut videlicet cœna utamur, quotiescunq; utile & necessarium nobis agnoscimus, & sentimus pharmacum & antidotum illud, quod in Eucharistia Samaritanus noster vulneribus nostris infudit, nobis opus esse, id quod ex regula de probatione & fructu  $\epsilon\omega\chi\alpha\gamma\iota\sigma\iota\alpha\epsilon$  deprehendimus.

## LXI.

Hieron. in  
Ep. ad Lu-  
cinum Am-  
brosius in  
2. cap. 1.  
Tim. Au-  
gust. Epist.  
118.

Sapientissime verò per annum communicandum esse, totius etiam antiquitatis testimonium nobis suffragatur, hinc apud quosdam quotidianam usitatum fuisse communionem legimus: alios bis in septimana: non nullos die Dominica feria 4. 6. & Sabbatho communicasse perhibetur.

## LXII.

Hinc Patres quog; gravissimè reprehenderunt eos, qui alijs temporibus communionem minus curantes, satis esse, si solennioribus festivitibus tantum convenirent, sibi falso persuadebant. Et hoc est quod Ambrosius inquit: si quotidianus est.

De Sacram.  
lib. 6. c. 4.



est cibus, cur post annum illum sumitis, quem admodum Græci in Oriente facere consueverunt.

## LXIII.

Exclamemus ergo etiam cum Chrysofostomo contra Pontificios, dicentes: ô consuetudinem, ô presumptionem, alijs temporibus sæpè cum mundi estis non acceditis, in paschate verò etiam si quid temerarium sit commissum, nihilominus acceditis.

In 1. cap.  
ad Eph.

## LXIV.

Nos autem qui vero Christiani nominis titulo gaudemus, Christo ac duci nostro obtemperantes, verè præparati, frequentissimam nulliq, certo ac statuto tempore alligatam communionem adhibeamus, ut ob signata promissionis gratia, firma fide consociemur cum Christo, qui in habitans in nobis tandem resuscitabit nos in die novissimo ad vitam & gloriam cœlestem, qua in omni æternitate perfruamur. Cui Regi seculorum sit laus & honos sempiternus. Amen.

F I N I S.









99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17











557.  
28



IO X.  
CVND A  
MINIS CON-  
NI REVEREN-  
SSIMI DN. D.  
HEMNITII.  
s quaestiones.  
brapratione, adeo vt di-  
lere queat.  
tentibus.  
& sanguinem Christi in  
nifica sit sumenda.  
s.  
NTE GRATIA  
SIDIO  
GESNERI,  
TORIS ET PROFES-  
ebergensi publici, ad  
mplo Arcis Electo-  
onit  
YS ERNESTVS  
s Franc.  
snerianis Anno 1603.

